







48  
7  
5  
DISPUTATIO ORDINARIA

De quaestione illa

*Cujus argumentum hoc ipso anno retro sum numero-  
to centesimo, nimirum Anno Christi 1516. ad-  
versus Papatum disputavit vir DEI*

D. MARTINUS LUTHERUS.

UTRUM HOMINES LEGI  
DEI SATISFACERE, ET MERERI  
VITAM ÆTERNAM POSSINT?

QUE

*In Academia VVittebergensi repetetur & publicè  
instituetur ad d. 22. Novembr. anni  
hujus 1616.*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO S. S.

Theologiæ Doctore, & Profefs. P.

RESPONDENTE

M. ANDREA SNISIO WITTEBER-  
genfi, Alum. Electorali Saxon.

---

WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Johannis Gormanni,



DISPUTATIO ORATIONARIA

De orationibus  
De orationibus  
De orationibus  
De orationibus  
De orationibus

DE MARTINO LUTHERO

ET DE HOMINIBUS LEGI

DEI SATISFACERE ET MERERI

VITAM AETERNAM POSSINT



DE MARTINO LUTHERO  
DE HOMINIBUS LEGI  
DEI SATISFACERE ET MERERI  
VITAM AETERNAM POSSINT

VOLFGANG FRANKE S.S.

THEOLOGICUS DOCTOR & PASTOR

M. ANDR. FRID. WITTEBERG

CONDITUM LIT. S. S. S. S.

Ex Offina Typographica Johannis Gommarii







Mnibus temporibus hæc quæstio in Ec-  
clesijs maximas turbas excitavit: *Utrum homines legi*  
*DEI satisfacere & vitæ æternam mereri possint: dum potis-*  
*simùm pro ejus asseveratione plurimè non tantùm*  
*oracula quædam sacrarum literarum detorserunt;*  
*verùm etiam humanæ ratiocinationis scrutinium urserunt:*  
*quod non nisi possibiles leges subditis promulgare etiam reges*  
*confueverint, multò minus DEUS voluisse censeri possit.*

II. Quod sub toto Papatu, cum primis verò sub illo, qui san-  
ctissimam Beatissimi nostri Lutheri reformationem quam,  
proximè & continuò antecessit, *affirmativa eadem summum ha-*  
*buerit applausum, & cunctas cathedras, Ecclesiasticas & Scho-*  
*lasticas, cunctasque templorum & Collegiorum conciones &*  
*prælectiones occupaverit, facilè conspicere licet ex disputa-*  
*tione ipsius Lutheri, de illo eodem themate instituta anno ab-*  
*hinc centesimo ipso, hoc est, ipso huic nunc currenti quoad*  
*númerum minorem conveniente, anno Christi 1516. quæ dis-*  
*putatio quasi prodromus fuit secutæ illico anno 1517. magnæ*  
*reformationis.*

III. Titulus disputationis Lutheri anno centesimo retros-  
sum, h. e. anno 1516. habitæ, præponitur iste, Tom. 1. latino Je-  
nensi folio 1. & tomo 1. Wittebergensi fol. 50. B. *Quæstio subscri-*  
*pta de viribus & voluntate hominis sine gratiâ, contra doctrinam Papæ &*  
*Sophistarum, disputata est Wittembergæ, anno M. D. XVI. præsidente exi-*  
*mio Viro D. M. Luthero Augustiniano, arrium ac Theologæ Magistro.*

IV. Quæstio itidem proponitur his verbis: *An homo ad DEI*  
*imaginem creatus naturalibus suis viribus, DEI creatoris præcepta servare,*  
*aut boni quippiam facere aut cogitare, atq; cum gratia mereri, meritaq; co-*  
*gnoscere possit.*

V. Responsio quoque annectitur conclusionibus tribus  
comprehensa præter corollaria, 1. quod homo vetus creaturas  
reliquas alioqui bonas, efficiat vanas. 2. quod homo, DEI gra-  
tiâ exclusâ, præcepta ejus servare nequaquam possit, neq; se de  
congruo vel de condigno ad gratiam præparare: verùm neces-

Quæstio.

*Disputatio*  
*Lutheri ad-*  
*versus Papa-*  
*tam quædã*  
*anno Christi*  
*1516.*



riò sub peccato maneat, 3. quod gratia seu charitas, quæ non  
(nisi in extrema necessitate) succurrit, inertissima sit, ac poti-  
ùs nulla charitas, nisi extrema necessitas, non mortis pericu-  
lum, sed cujuscunque rei defectus, intelligatur.

VI. Ad eò ergò Spiritus Domini maturè admodum in mo-  
nasterio exercuit Lutherum, ut seriò cogitaret de justitià verè  
coram DEO valiturà & de separandis à negotio justificationis  
hominis peccatoris coram tribunali DEI omnibus omnium  
hominum meritis, ut anno 1516. non amplius sibi temperare  
posset, sed pro disputatione remissam proponere non metue-  
ret, anno uno, antequam sequenti anno 1517 in negotio indul-  
gentiarum plenis velis & remis adversus Papatus abominatio-  
nes pugnare contenderet.

*Epistolum à  
Luthero an.  
Christi 1516.  
de meritis o-  
perum bono-  
rum per scri-  
ptum, quod  
verba di-  
spurationis  
jam dicta  
ejus melius  
declarat.*

VII. *Exeat de hac ipsa re Epistolum Lutheri ad  
Georgium Spenlein Augustinianum Eremitam in conventu  
Memmingensi, dignissimum lectione, idq; in hunc modum:*  
Quid agat anima tua, scire cupio, utrumnè tandem su-  
am pertata propriam justitiam discat in justitià CHRISTI re-  
spirare atque confidere. Fervet enim nostra aetate tentatio  
præsumptionis in multis, & ijs præcipuè, qui justis & bonis esse  
omnibus viribus student, ignorantibus justiciam DEI, quæ in  
CHRISTO est nobis effusissimè & gratis donata, quærunt in  
seipsis tam diu operari benè, donec habeant fiduciam standi co-  
ram DEO, veluti virtutibus & meritis ornati, quod est impossi-  
bile fieri. Fuisti tu apud nos in hac opinione imò errore, fui  
& ego; sed & nunc quoque pugno contra istum errorem, sed  
nondum expugnavi. Igitur mi dulcis Frater, discе CHRIS-  
TUM & hunc crucifixum, discе ei cantare, & de te ipso des-  
sperans dicere ei: tu Domine Jesu es Justitia mea, ego autem  
sum peccatum tuum: tu assumpsisti meum, & dedisti mihi tu-  
um: assumpsisti quod non eras, & dedisti mihi quod non eram.  
Cave ne aliquando ad tantam puritatem aspiras, ut peccator tibi  
videri nolis, imò esse. CHRISTUS enim non nisi in  
peccatoribus habitat. Id eò enim descendit de cælo, ubi ha-  
bitabat in justis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Istam  
chari-



charitatem ejus ruminas, & videbis dulcissimam consolationem ejus, Si enim nostris laboribus & afflictionibus ad conscientiae quietem pervenire oportet: ut quid ille mortuus est? Igitur non nisi in illo per fiducialem desperationem tui, & operum tuorum, pacem invenies: disces intusper ex ipso, ut sicut ipse suscepit te, & peccata tua fecit sua, & suam justitiam fecit tuam. Si firmiter hoc credas, sicut debes: maledictus enim qui hoc non credit: Ita & tu Fratres indisciplinatos & adhuc errantes suscipe, & patienter sustineas, atque ex eorum peccatis facias tua: & si quid boni habes, illorum esse sinas, Sicut docet Apostolus, suscipite invicem, sicut & CHRISTUS suscepit vos in honorem DEI. Et iterum, Hoc sentite in vobis, quod & in CHRISTO JESU: qui cum in forma DEI esset, exinanivit semetipsum, &c. Ita & tu, si tibi melior videris, non rapinam arbitraris, ac quasi tuum solius sit, sed exinanas te ipsum, & obliviscere qualis es, & esto quasi unus illorum, ut portes eos. Infelix enim istius Justitiae, quae alios sibi comparatos veluti peiores, sustinere non vult, & fugam & desertum meditatur, qui patientia & oratione & exemplo praesenter eis prodesse debuit: Hoc est talentum Domini abscondere, & conservis non tradere quod debetur. Igitur si es Lilium & Rosa CHRISTI, scito quoniam inter Spinas conversatio tua erit: tantum vide ne per impatientiam & temerarium judicium, vel occultam superbiam tu spina fias. In medio inimicorum regnum CHRISTI est, ut Psalmus dicit. Tu ergo quid fingis medium amicorum? Igitur quisquid tibi defuerit, coram Domino JESU prostratus impetra. Ipse te docebit omnia: tantum inspicere quid ipse pro te & omnibus fecit: ut discas & tu, quid pro alijs facere debeas, Si ipse non nisi inter bonos vivere & pro amicis mori voluisset, pro quibus quaeo mortuus esset: aut cum quo unquam vixisset. Sic age mi Frater, & ora pro me, & Dominus sit tecum. Vale in Domino. *Haecenus verba Epistola, quae scripta est ex Wittembergae Feria 3. post misericordias Domini, Anno M. D. XVI.*



M. Bartho-  
lomeus Bern-  
hardus pro-  
fessor Præpo-  
situs Kem-  
berg.

IX. Quod eandem doctrinam hac disputatione conclu-  
sam. Lutherus eodem anno in prælectionibus satis agitaverit,  
patet ex aliâ ejusdem epistolâ ad Johannem Langum Priorem Erfurtensem  
verbis his: De positione mea nihil est quod mirentur tui Gabri-  
elitz, cum & mei huc usque vehementer mirentur Et quidem  
positio ipsa ex me non est facta, sed M. Bartholomeus eam sic  
conflavit, scilicet motus oblatratorum LECTIO NUM MEARUM  
garritu. *Hac ibi. Et paulo post ibidem:* De tertia conclusione, quam  
non capis, ut dicis, ea est M. Bartholomæi intelligentia, quod  
charitas, quæ expectat (secundum istos Theologos) extre-  
mam necessitatem, est iners, immò inertissima, i. e. nulla pro-  
fus, &c. *Hæc omnia in illo loco de sua superius allegat a disputatione Lu-  
therus.*

Lutherus  
anno Christi  
1516. cupit  
moneri Eras-  
mum, ne ope-  
ribus legis  
moralis me-  
ritū aliquod  
vite æternæ  
tribuat.

IX. Eodem anno die sequente Lucia festum Spalatinum ro-  
gat, ut Erasmus certiore faciat, ne in Apostolo interpretan-  
do justiciam operum seu legis seu propriam intelligat cere-  
moniales illas & figurales observantias, sed rectius universi Deca-  
logi facta. & addit, ita metuo, ne per eandem multi sibi accipi-  
ant patrociniū defendendæ illius literalis, id est, mortuæ in-  
telligentiæ quâ plenus est Lyranus commentarius, & ferme om-  
nes post Augustinum. Nam & Stapulensi viro alioquin  
quam spirituali & sincerissimo hæc intelligentia deest in inter-  
pretando alienas literas, quæ tamen plenissimè adest in propriâ  
vitâ agendo & alienâ exhortando. Temerarium me dices,  
quod tantos viros sub Aristarchi virgam duxerim, nisi scires,  
quod pro re Theologica & salute Fratrum hæc facio. *Hæc ibi.*

Lutherus  
anno 1516.  
lectio-  
ne  
Scholasti-  
corum post-  
habita ardet  
scrutari epi-  
stolas Pauli-  
nas.

X. Eodem anno ad Johannem Langum scribit, 26. Octobr.  
quod sit lector Pauli, collectorq; Psalterij, & tandem hæc verba  
ascribit: Scribis te heri auspiciatum secundum sententiarum, at  
ego cras (27. Octobr. 1516.) epistolam ad Galatas.

XI. Idem eodem anno ad Spalatinum, Dominicâ sequente Luciam:  
ne ita sequarist tuam bonam & piâ intentionem (ut vulgus  
religiosorum & Sacerdotum passim & pessimè errat, sed licen-  
tiam immò jussum tuum in hoc præcipue & in omni opere tuo  
require nisi voles stipulam fieri opus tuum adde tamen & me-  
um consilium: si te delectat, puram, solidam, antiquæ simili-  
mam



nam Theologiam legere in Germanicâ linguâ effusam. Sermo-  
nes Johannis Tauleri, prædicatoriæ Professionis tibi compa-  
rare potes: cujus totius Epitomen ecce tibi hic mitto. Nequen-  
ego vel in latina vel in nostra lingua Theologiam vidi salubrio-  
rē & cum Evangelio consonantiorem. *Hæc ibi: duos libros com-  
mendans, Germanicam videlicet Theologiam & sermones  
Tauleri.*

XII. *Iohannes Taulerus Colonienfis circa annum Christi 1375.*  
divinarum literarum fuit scientissimus, & concionator Ar-  
gentinenfis, docuitq; Ecclesiam indigere generali quadam re-  
formatione. Legantur ipsius conciones super Festum Epipha-  
nias & alia & patebit, quemadmodum Luthero in hoc ipso  
themate disputationis supra indigitatæ assentiatur.

XIII. Quod attinet ad Germanicam Theologiam sic cum temporio  
dictam, eam tandem hic Wittenbergæ typis excudi curavit Lu-  
therus anno 1520, in formâ quartâ, per Johannem Gronenber-  
gium, cum præfixâ præfatione suâ, quam præfationem seorsim  
positam reperies primo Tomo Islebiensi, mox sub initium.  
*In præfixa præfatione Lutherus de libro isto Germanica Theologia inter alia  
dicit: Dis edle Büchlein / als arm vnd ungeschmückt es ist / in wor-  
ten vnd Menschlicher Weißheit / also vielmehr reicher vnd ober-  
köstlicher ist es in Kunst vnd Göttlicher Weißheit. Wund das ich  
nicht meinen alten Narren rühme / ist mir nechst der Biblien vund  
S. Augustin nicht vorkommen ein Buch daraus ich mehr erlernet  
habe / vnd wil / was Gott / Christus / Mensch vnd alle ding seyn. Vnd  
besin de nun aller erst / das war seyn / das etliche Hochgelerthen von vns  
Wittembergischen Theologen schimpflich reden / als wolten wir newe  
ding fürnehmen / gleich als wenn nicht vorhin vnd anders wo auch  
Leut gewesen / Ja freylich sein sie gewesen / / aber Gottes Zorn durch  
vnser Sünde verwircket / hat vns nicht lassen würdig sein / die-  
selbe zusehen oder hören / denn am Tag ist / das in den Vniuersiteten  
eine lange zeit solches nicht gehandelt.*

Et paulo post: Lesß dich Büchlein wer da wil / vnd sag dann/  
ob die Theologi bey vns new / oder alt sein / dann dieses Buch ist je  
nicht new, *Hæc omnia Lutherus.*

XIV. Libri



XIV. Libri (nimirum Germanicæ Theologiæ) autor sub initium libri ipsius dicitur fuisse olim. Ein deutscher Herr / ein Priester vnd ein custos in der Deutschen Herrn Hauß zu Frankfurt. Titulus libri est: Ein Deutsch Theologia, das ist ein edles Büchlein / von rechten verstand / was Adam vnd Christus sey / vnd wie Adam in vns sterben / vnd Christus erstehen soll. Capita libri sunt quadraginta novem.

XV. Etsi verò varia poterant ex eodem libro allegari: tamen nunc illud, quod ad rem presentem pertinet, sufficiat, quod extat capite libri 42. hisce verbis latine redditis; Magna est stultitia, quod homo aut creatura opinatur, se scire vel posse ipsam, & præsertim si opinatur, se scire aut posse aliquid bonum, quo plurimum mereri aut impetrare valeat apud DEUM, DEO fit hac ratione contumelia, juxta eum qui hæc rectè intelligit. *Hec ille auctor.*

XVI. Ecce lector, ex his paucissimis æstima, quanto cum fervore & Zelo Lutherus sub ipsis profundissimis Papatus Romani tenebris fidei salvificæ & salutis suæ rationes & fundamenta scire gestierit, inquirere fategerit, & aliis quoque profiteri contenderit, anno proximo illo, donec tandem sequente 1517. impudentissimis indulgentiarum Papalium nundinationibus excitatus in ipso Spiritus Domini, promulgavit propositiones de indulgentiis, quas publicè templo quod arci Wittemb, contiguum est, affixit pridie Festi omnium Sanctorum, anno jam jam nominato.

XVII. Etsi verò tum saltem quosdam abusus indulgentiarum taxare sibi propositum habuit *Vir DEI*, tamen in iisdem propositionibus tyrannidis papalis descriptionem, reprobationem & damnationem per eundem ipse S. Spiritus satis apertam & valde divinam simul est operatus, ut ab illa die superbissima Papatus Romani Babylon seu Monarchia tota validissimis arietibus concussa expugnari cæperit, & de die in diem ita corruere necessum habuerit, ut nunquam vires pristinas sit recuperatura.

XIIX, Qua-



XIX. Qualia aurem conscientie certamina de religione  
sub Papatu habuit *Lutherus*, talia sub eodem plurimos alios fuisse. *Etiā aliq̄*  
nonnulli, non modò nullum, est dubium, sed & historia confirmant. *ante Luthe-*  
De *Hiltenio*, nihil dicere opus est nostris hominibus satis cognito: *rum Papa-*  
de *Bernardo* constat *Sermone 50. in Cantica, ubi inquit: Est charitas cui contra-*  
in actu, est & in affectu. Et de illa quidem, quæ operis est, pu-  
ro datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. *Hiltenius,*  
Nam in affectu, quis ita haber, ut mandatur? Ergò illa mandatur  
ad meritum, ista in præmium datur. Cujus initium profectumq̄: *Bernhardus,*  
vitam quoq; præsentem experiri, divinâ posse gratiâ, non nega-  
mus, sed planè consummationem defendimus futuræ felicitati.  
Quò ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut si  
placet, tibi de affectuali charitate datum fuisse mandatum, non  
inde contendo, dum modò acquiescas & tu mihi, quod minimè  
in vitâ istâ ab aliquo hominum possit vel potuerit adimpleri. *Hec*  
*Bernhardus, consona disputationi Lutberi anno 1516. habita.*

XIX. De eodem *Bernardo* quidam auctor in vita ejus hæc alia re-  
fert cap. 12. lib. 1. Aliquando in maximo morbo cum extremum tra-  
here spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Do-  
mini sibi visus est præsentari. Adfuit autem & Satan ex adverso,  
improbis eum accusationibus pulsans. Ubi verò ille omnia fue-  
rat profectus & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nihil ter-  
ritus aut turbatus ait: Fateor non sum dignus ego, nec proprijs  
possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici ju-  
re illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris & me-  
rito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus  
dono jure illud mihi vendicans, non confundor. *Hæc auctor ille de*  
*Bernardo.*

XX. Et dignissima est *Anselmi* ad fratrem exhortatio mo-  
riturum, quæ legatur saltem apud *Chemnitium* parte prima exa-  
minis, in loco de justificatione, rubricâ, *Veterum testimonia de justificatio-*  
*ne. Verba Anselmi ita habent: Cum frater aliquis laborare videtur*  
in extrémis, pium est, & consulum, eum per prælatum, sive alium  
sacerdotem, subscriptis interrogationibus & exhortationibus ex-  
erceri. Et interrogetur primò.

Frater, lætaris quòd in fide morieris; Et respondeat: *Etiā.*

B

Es



Fateris te non tam benè vixisse, sicut debuisses, Fateor, Pœnitete? Etiam.

Habes voluntatem emendandi te, si spatium vivendi haberes? Etiam.

Credis quod propter te mortuus est Dominus JESUS CHRISTUS, Filius DEI? Etiam.

Credis non posse salvari, nisi per mortem ejus? Etiam.

Agis ei de hoc ex corde gratias? Etiam.

Age ergò, dum in te est anima tua, ei semper gratias, & in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe: hac morte te totum contege, eiq; te totum involve. Et si Dominus voluerit te judicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me, & te, & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit quod merueris damnationem, dic: mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter te & mala merita mea: ipsiusq; dignissimæ passionis meritum assero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo.

*Anselmus  
circa Anni  
Christi uoc.*

Dicat iterum: Mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter me & iram tuam. Deinde dicat ter: In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum. Et conventus sui astantes respondeant: In manus tuas Domine, commendamus Spiritum ejus. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum. *Hactenus verba Anselmi.*

XXI. Verùm enim verò quamvis sub Papatu omni plurimos pios de veris salutis æternæ rationibus gementes fuisse, historia cunctæ testatum præbet: tamen nemini divinitus datum fuit vincere & prosternere bestiam illam, & nuditatem ac turpitudinem ejus revelare gentibus, nisi verè divino & magno Prophetæ Germanico *Luthero*: id quod nos Germani gratis vocibus DEO confiteri debemus. Et nos nec debuimus, nec potuimus, nec voluimus de his hoc tempore & hoc anno tacere, ut juventus habeat occasionem ruminandi beneficia divina ante hoc seculum. Patribus nostris conferri cœpta, etiam hoc anno retrorsum numerato centesimo, quanquam tum tenuiter, subobscurè & quodammodo sine effectu, quia nondum venerat hora plenariæ repurgationis doctrinæ cœlestis. Omnis & totus igitur Papatus, quæstionis propositæ affirmativam tenuit sententiam.

*Lutherū solum  
reservavit  
Deus confuso  
ni & destructioni  
magna magi  
Antichristi  
Romano-  
rum.*

De



De proposita questione opinio recentium.

Arianorum.

XXII. Porro his ipsis annis nostris ejusdem quaestionis affirmativa per Arianos recentes seu Photinianos in agrum Ecclesiarum nostrarum, quod CHRISTUS divinæ justitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, pro peccatis nostris plenè satisfecerit, econtrà contendunt. CHRISTUM idèo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, qui in suâ ipsius personâ, tum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifestè ostenderit, vitamq; æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit, addunt item, omnes salvandos debere & non aliter posse, nisi credendo salvari. Credere autem, ipsis est nihil aliud, nisi obedire præceptis DEI & CHRISTI, pro omni virili & quidem ad exemplum innocentæ vitæ CHRISTI, siquidem secundum ipsos pij in hac vita CHRISTVM imitari non tantum debent, sed etiam possunt in omnibus moribus innocentibus.

Ariani recentes abjecto merito Christi sola opera bona & quidem perfectiâ in salvandis rê-  
quunt.

XXIII. Secundum ipsos Legis verba, ut diligamus DEUM ex toto corde, animo & omnibus viribus, & proximos nostros, ut nosmet ipsos, non requirunt impossibile quiddam, quod nullus homo aut præstiterit, aut præstare etiam possit. Item: *Homini bona opera non posse sibi iudicio DEI secundum legem propositam judicantis* (nam ipsi DEO nemo se comparare potest) quæ Scriptura unquam dixit, quærit & setibit Sommerus Photinianus & Glirius Photinianus in tractatu de Justificatione.

XXIV. Faustus Socinus Senensis Italus Photinianorum hodiernorum coryphæus in libro de Servatore. part. 1. c. 4. hunc capituli istius facit & habet titulum: *Nos Christum imitari posse, & hanc esse æternæ salutis viam, ob idq; (etiam) jure CHRISTVM Servatorem nostram appellari.* Et si verò aliquando concedit, id imitari Christum esse sanctè & justè, quemadmodum ille vixit, vitam componere, licet CHRISTUS perfectiùs, homines imperfectiùs agant: tamè quia ibidem vocat hyperbolicam nostrorù hominum propositionè, hanc, cum scribunt, justitiâ nostrâ perpetuò a perfectione Christi



non minus quam cœlum à terra distare, an non inde elucet, quod summam summae perfectionis æmulationem requirat.

*Ariani re-*  
*centes dupli-*  
*cem consti-*  
*tuunt perfe-*  
*ctionem bo-*  
*norum ope-*  
*rum.*  
XXV. *Valentinus Smalcus Gothanus* in refutatione thessum. Franzij magistrum illum suum latius declarans contra disputationem lextam de bonis operibus duplicem constituit perfectionem, aliam *absolutissimam*, quando quis nonquam, ne semel quidem peccat, aliam *comparatam*, quando quis in nullius peccati habitu hæsit. Et licet etiam posteriorem ad salutem necessariam ab omnibus requirat, tamen audi lector, quo loco jam indigitato fol. 176. seipsum plus enucleet, adeoq; quanto opere à salvandis summam operum perfectionem requirat.

*Comparata*  
*perfectio ope-*  
*rum secur-*  
*dum Smalci-*  
*um.*  
XXVI. *Verba ita habent: Verba Smalcij:* Sunt autem rursus in hac utraq; perfectione certi gradus. 1. Nam quod ad posteriorem attinet; sunt, qui virtutis ut plurimum sunt studiosi, quod est, habitum virtutis habere, sed ægrè tamen, & non sine lucta, eaq; magna: 2. Sunt qui minori cum lucta & molestia virtuti incumbunt, & opera bona exequuntur: 3. Sunt deniq; qui absq; omni lucta, imò cum summa animi lætitia officium faciunt, & non tantum bonis operibus student, verum etiam iisdem delectantur, & ut Scriptura loquitur de Christo, diligunt justitiam. Omnes tamen hi censentur in statu salutis esse, Deo confidere, non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare, Hac tamen cautione, ne illi, qui vel cum lucta magna aut etiam non magna faciunt voluntatem Dei, sentiant sibi in ista sua imperfectione licere ita herere, sed reneri semper eò contendere, ut si non semper, saltem plerumq; cum magna animi sui lætitia, quæ Deus præcipit, exequantur. Quod verò ad priorem perfectionem attinet, nemo est, qui non videat, quam varij in ea gradus dentur, ita ut ferè singulis diversus hac in re profectus apparere possit, prout quisq; annexus fuerit, ut quam proximè ad istum scopum collimet. *Etiamsi autè difficillimum sit, propter carnũ infirmitatem, ut homo ad istam perfectionem reipsa perveniat, non est tamen prorsus impossibile; & voluit Deus, ut ad eam tenderemus, primum ut appareret, quinam sint verè probi. Non potest enim homo probus quiescere unquam, sed seipso indies melior esse studet. Deus verò est, qui de conatibus istiusmodi hominum iudicet, & quousq; quis progressus sit vel progredi potuerit, ut perfe-*  
*ctif.*

*Absoluta*  
*perfectio o-*  
*perum se-*  
*cundum*  
*Smalcium.*



Missimè novit, sic etiam unicuiq; secundū ista opera ejus redditus est. Voluit deinde Deus, ut homines ex hoc ipso agnoscerent ipsius summam clementiam & æquitatem, quod, qui perfectissimam ab eis jure exigere poterat obedientiam, tali tamen contentus sit, quæ vires humanas non superet. Et hæc est causa, cur Deus talem legem olim dederit, quæ perfectissimam voluntatis illius (maximè verò ejus, quæ in Decalogo continetur) executionem requireret, adeò ut capitale vel mortale esset, vel semel eam transgredi. *Hactenus verba Smalcij.*

XXVII. Valdè igitur cognati sunt, quod ad hoc thema at-  
tinet Pontificij & Ariani. Pontificij meritoriam causam justificati-  
onis faciunt dilectissimum & unigenitum DOMINUM NO-  
STRUM JESUM CHRISTUM, qui (inquit Concilium Tri-  
dentinum sessione sexta cap. 7. sub titulo, quid sit justificatio impij, & quæ e-  
jus causa?) cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, quæ  
dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justifi-  
cationem meruit, & pro nobis DEO Patri satisfecit.

*De merito  
bonorum &  
perum in  
quibus con-  
veniant Pos-  
tificij cum  
Arianis re-  
centibus.*

XXIX. Mox verò ibidem astruunt: Quanquam nemo possit es-  
se justus, nisi cui merita D. N. I. C. communicantur: id tamen in  
hac impij justificatione fit; dum sanctissimæ passionis merito per  
S. S. caritas Dei (Rom. 3) diffunditur in cordibus eorum, qui ju-  
stificantur, atq; ipsis in hæret: unde in ipsa justificatione cum R.  
P. hæc omnia simul infusa accipit homo per I. C. cui inseritur  
per fidem, spem & charitatem. Nam fides nisi ad eam spes acce-  
dat & charitas, neq; unit perfecte cum CHRISTO, neq; corpo-  
ris ejus vivum membrum efficit: qua ratione verissimè dicitur:  
Fidem sine operibus mortuam & oriosam esse. Et in CHRIS-  
TO JESU nihil aliquid valere, nisi fidem, quæ per charita-  
tem operatur. *Hæc omnia sunt verba Concilij Tridentini.*

XXIX. Ergo secundum Pontificios merito quidem obedientiæ  
CHRISTI reconciliatus est nobis DEUS, sed ab illo reconcili-  
liato gratia gratum faciens, tanquam qualitas animæ nostræ la-  
tenter infunditur, idq; per fidem, spem, charitatem excitatam  
certis medijs, per quam virtutem seu qualitatem in hærentem  
formaliter justificetur homo, siquidem ex hac qualitate oriuntur  
opera verè justa, quæ justificant meritorie non formaliter, & sunt  
meritoria vitæ æternæ.



XXX. *Secundum Photinianos* verò CHRISTUS jussu Patris venit in mundum, nos reconciliavit DEO per mortem suam, h. e. Patrem nobis non placavit sed placatum ostendit, ex nobis inimicis DEI facit amicos DEI, emolliendo duritiam animorum nostrorum, dum etiam extrema quæq; nostri lucranda causa sustinet, quibus commoti peccata deserimus, & ad ipsum conversi, vitam secundam præscripta Domini nostri JESU CHRISTI institui-  
mus, nosq; ita sanguine CHRISTI justificamur. Sanguis enim CHRISTI pro nobis effusus confirmat promissa CHRISTI, quæ Patris nomine protulit, simulq; DEUM ipsum ad eadem præstanda devincit, & ad Patrem clamat, ut promissorum suorum, quæ ipse CHRISTUS nobis illius nomine annuntiavit, pro quibus confirmandis suum ipsius sanguinem fundere non recusavit, meminisse velit. De quibus ex Photinianorum scriptis formalia magno numero allegari possent, sed brevitatis haberi debet ratio, & spectetur, si liber, liber de Servatore Socini.

XXXI. *Pontificij* agnoscunt adhuc meritum CHRISTI, sed limitant illud ita, quod eodem in hominibus per verbum & Sacramenta accendantur virtutes & qualitates, per quas vivum membrum CHRISTI fiat & justificetur ac salvetur homo. *Photiniani* agnoscunt mortem CHRISTI pro nobis convertendis toleratam, sed nihil efficientem, nisi in nobis veram penitentiam & studium bonorum operum, sine quibus nulla possit fieri justificatio.

XXXII. Verum enim verò nostræ Ecclesiæ ex verbo Domini primas, secundas, tertias Justificationis tribuunt fidei apprehendenti satisfactionem plenissimam à CHRISTO pro peccatis nostris Patri cœlesti persolutam: reliqua verò bona opera omnia agnoscunt pro veræ fidei certissimis indicijs, ita tamen, quod per hæc opera salus contingere nulli queat, præsertim cum in hoc statu generis humani summa sit omnium operum bonorum etiam in pienssimis hominibus imperfectio, de qua in omnium primâ suâ & quasi privata disputatione D. Lutherus hoc ipso anno ante hos annos centum disputavit.

AR.



7

*Argumenta Pontificiorum pro operum  
bonorum perfectione & me-  
rito.*

XXXIII. His ergo hucusque præmissis, jam videndum est, quibus argumentis adversus *oppositio* sacrarum literarum & olim & hodie sub Papatu, & hodie inter Photinianos pugnetur. Ex parte igitur Pontificiorum urgentur hæc sequentia. 1. Quod alioquin sequeretur hoc absurdissimum absurdum, Deum in monte Sinai repetendo Decalogum præcepisse talia, quæ toti generi humano sint impossibilia. Refutat hoc Deus ipse, inquit, in suo verbo ostendente, legem promulgatam homini quantumvis nunc in statu corruptionis hærenti, tamen esse possibilem. Deut. 30, 11. *mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cælis situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus, neque trans mare positum, ut auferis & dicas, quis est nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est, sed juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud.* Et CHRISTUS Matth. 5, 48. *Estote perfecti, sicut & Pater vester qui in cælis est, perfectus est.* 1. Johan. 5, 3. *mandata ejus gravia non sunt.* Romanor. 13, 8. *qui diligit proximum, legem implevit.*

XXXIV. 2. Quod sacræ literæ planè contrarium demonstrent, doceant, legem esse homini possibilem, & quod attestantibus Scripturis multi pij legem perfectè compleverint, Marc. 9, 23. *Credenti omnia sunt possible.* Sic de Noa dicitur Genes. 6, v. 9. *Noa vir justus & perfectus fuit in generationibus suis, cum DEO ambulavit.* Sic de Davide 1. Reg. 15, 3. 4. 5. *Abiam non fuit cor ejus perfectum cum JEHOVA DEO suo, sicut cor Davidis patris sui. Attamen propter Davidem dedit ei DEVS lucernam, quod fecisset David, quod rectum erat in oculis JEHOVÆ, neque declinasset ab ullo eorum quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, præterquam in re Vria Hitthai.* Sic de Asa extant hæc verba: 1. Regum. 15, 14. *Cor Asa perfectum erat cum Domino DEO suo cunctis diebus suis.* Item de Ezechia dicitur secundo Regum vigesimo versu tertio: *Memento quasi quod am-*  
*bu-*



bulaverim coram te in veritate, & in corde perfectio, & quod placitum est coram te fecerim. Item de Jolia 2. Reg. 23. 25. Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Mosi: neq; post eum surrexit similis illi: & quæ his sunt similia alia non pauca.

### Argumenta Photinianorum pro perfectione bonorum operum.

XXXV. Ex partibus Photinianorum. CHRISTVM imitari nos posse, ex illis verbis Pauli Socinus de Servatore part. 1. c. 4. probare conicitur 1. Cor. 11. 1. Imitatores mei estote, sicut & ego CHRISTI. Item 1. Thessal. c. 1. 6. Et vos imitatores mihi facti estis & Domini. It. 1. Pet. 2. 21. Siquidem in hoc vocati estis, quoniam & CHRISTVS passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut insequeremini vestigia ejus. Item 1. Joh. 2. 6. Qui dicit se in eo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Eph. 5. 1. Estote perfecti, sicut & pater vester qui in caelis est, perfectus est. 1. Pet. 1. 15. Quemadmodum is qui vocavit vos, sanctus est, ita ipsi quoq; sancti in omni conversatione reddamini. 1. Joh. 2. 3. In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus. Qui dicit novi eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. 1. Joh. 3. 3. Omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est. Et versu 6. Omnis qui in eo manet, non peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum. Filioli nemo vos seducat, qui facit justitia justus est, sicut & ipse justus est. 1. Joh. 4. 17. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. 1. Joh. 3. 16. In hoc agnovimus charitatem, quia ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

XXXVI. In libro, quem Marthæ Glirio aliqui ascribunt, de Justificatione, huc accersunt alia, ut 2. Paralip. 15. 12. Intravit Rex Asa cum populo, ut quæreret Dominum Deum patrum suorum in toto corde & tota animâ suâ. Item Exod. 24. 3. Josuæ 24. 21. 24. ubi populus sese ad talem obedientiam obligat, facturus omnia quæcumq; præcepit IEHOVA: id quod non viderentur promittere voluisse, si ipsis de tanta constitisset impossibilitate. 1. Reg. 14. 8. David custodivit præcepta mea & ambulavit post me toto corde suo, faciendo tantum quod rectum est in oculis meis. 2. Reg. 22. 12. Iosias ambulavit in omni via

Da-



Davidis patris sui, fecit quod rectum erat in oculis IEHOVÆ, nec declinavit ad dextram aut sinistram.

XXXVII. Ablegant nos ad Psalmum 119. ubi, inquit, nihil aliud prædicat David, quàm se ex toto corde exquisivisse, meditatam esse & servasse mandata DEI. Rom. 13. 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit. Gal. 5, 14. Omnis lex in uno sermone impletur, diligas proximum tuum, sicut teipsum.

XXXIIX. Etsi verò in loco superius allegato Socinus non vult dici asecta Catharorum, tamen Smalcius ejusdem sectator scrupulosus rem aliter prodit, requirens in bonis operibus *cin* *e* *l* *e* *c* *e* *u*, quæ quomodo à perfectione Catharorum possit abesse, lectori judicandum relinquitur ex his ipsius verbis, quæ extant contra Disput. W. F. 6. de bonis operibus fol. 176. 177. quæ superius fuerunt allegata thes. 26.

XXXIX. Verùm enim verò ante omnia nemo inficias ire audebit, legem etiam à nobis post lapsum efflagitare perfectam obedientiam. Qualem enim legem in statu innocentie proposuerat DEUS, tam perfectam à lapsu repetere voluit. Deut. 6, 4. Audi Israël. Dominus DEVS noster DEVS unus est, diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: Quæ repetuntur à CHRISTO Matth. 22, 37.

XL. At vicillim negari non potest ab adversarijs, i. quod *Argumenta* nemo in hac vita possit esse aut fuerit unquam sine peccato: quod homo *Exemplum, inquam,* ne unum allegari potest unius hominis, legi DEI *sa-* qui testimonium ejusmodi reportare potuerit. Econtrario *ris facere &* excutias omnem vitam omnium sanctissimorum, aliquid ibi *mereri non* depræhendes alienum à lege divinâ, i. Reg. 8, 46. *non est homo, possit.* qui non peccet. Perperam verò Photiniani, ut Smalcius, contra *Primum.]* disput. 12. W. F. de causis peccatorum, interpretantur hoc oraculû sacrum de impingentibus per imbecillitatē & ignorantia, licet peccati lege non sint captivati, deq; talibus, qui quidē *Objectio* peccarunt antea, sed possunt à peccato cessare, & deinceps perfecte servire DEO. Nam Salomon de talibus peccatis ibidem loquitur, quæ sunt gravissima propter quæ DEUS iratus ejiciat *cum Resp.* Israëlitas suos in terram hostium & longinquam valde, ibiq;



tam diu affligat, donec his castigationibus commoti, ad ipsum per veram poenitentiam redeant. Sic enim verba habent Salomonis: *Si peccaverit tibi (populus tuus) Israël, id quod accersendum est ex versu 44. antecedente.) non est enim homo, qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis suis & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longè vel propè, & egerint poenitentiam in corde suo in loco captivitatis, & conversi deprecate fuerint in captivitate sua dicentes: Peccavimus, iniquè egimus, & reversi fuerint ad te in universo corde suo & tota anima sua, & oraverint, exaudies in caelo.*

*Secundum  
argument.*

*Obiectio a-  
lia cū Resp.*

**XLI.** Deinde homini impossibilem esse legis perfectam completionem, annō satis apertè Apostolus prodit Roman. 8, 3: *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato, damnavit peccatum in carne.* Quæ contra hoc oraculum sacrum objicit Socinus, legi possunt in libro de Servatore part. 2. c. 23. fol. 194. proflus vana & coacta. Illud *infirmari legem per carnem* interpretatur pro eo, quod passim est, *hominem à servitute peccati liberare*, cum omninò etiam aliud significare, necesse sit, nimirum, cum lex sit impossibilis homini carnali, adeoq; salutem præstare nequeat, &c. Nam in præcedentibus opponit legem Spiritus vitæ in CHRISTO JESU, legi peccati & mortis, & dicit, quod lex vitæ CHRISTI eum liberaverit à lege peccati & mortis: id quod nihil est aliud, quàm quod præcedente cap. 6. dixit: *Non sumus sub lege, sed sub gratiâ*, quodque fultus cap. 7. declarat, quod mortificati simus legi (liberati à damnatione legis) in corpore CHRISTI: siquidem ut ipse Socinus loco proximè allegato loqui cogitur, per CHRISTUM consequimur, quod DEUS servantibus legem promiserat. Quod autem per CHRISTUM consequamur illud, quod DEUS servantibus legem promiserat, alter locus ad Galatas 2. 21. (Si per legem justitia, tum FRUSTRÀ mortuus est CHRISTUS), cum illo ad Romanos collatus ritè explicat. Peccata hominum DEUS in CHRISTO peccatore pro nobis constituto damnavit, & ita CHRISTUS mortuus est, quia per legem nulla erat justitia.

**XLII.** Leve



7  
XLII. Leve est, quod FRUSTRA interpretatur pro res sine causâ quasi mens Pauli esset, si ex lege possemus justificari, cur CHRIS-  
TUS nobis aliam viam predicavit salutis, quæ consistat in vitæ emendatione  
& R. P. Capite enim 3, 13. adjicitur, quomodo CHRISTUS non sit frustra mortuus, nimirum, Christus nos redemit de maledicto legis, factus maledictum pro nobis. Quam in sententiam prostant plurima alia sacrarum literarum oracula, hoc in loco per bene-  
volum lectorem diligenti penfatione ruminanda & expendenda.

XLIII. Præterea huc pertinet precatio per CHRISTUM nobis præscripta, in qua inter alia quotidie orare jubemur: Dimitte nobis debita nostra. Vana autem esset illa formula precandi nisi in multis laboreremur, quemadmodum loquitur Jacobus Apostolus Domini c. 3 v. 2. Nec potest huic oraculo sacro Smalcicus quicquam contradicere, ut ut laborat contra Disput. 6 de bonis operibus fol. 18r. ubi dicit; aut antea quam DEUM vel CHRISTUM cognoscerent in peccati unius vel multorum habitu hærebant sancti, & ita deprecari DEUM tenentur perpetuo, aut postquam ad DEUM & CHRISTUM conversi sunt, in multis labi possunt. Alij respondent, agi de exiguis peccatis in Oratione Dominica, non verò de magnis, id quod tamen refutat connexio precationum orationis Dominicæ, siquidem in tertia petitione rogamus, ut fiat voluntas Domini in terra, sicut fit in cælis, ubi hoc petitur, quemadmodum Catechismus Smalcianus explicat, ut DEUS nobis in obedientiâ præstandâ, quæ ei debetur, & quæ vitâ & factis exprimenda est, opem afferat, multum enim opis homo indiget, ut ea quæ DEUS ei potissimum sub Evangelio mandavit, præstare possit. Sunt enim ea ejusmodi, quæ vires ipsius multis partibus superent. Est autem in ea petitione & tacita confessio infirmitatis nostræ & fiduciæ, quam erga DEUM habemus ac spei, quam de divinâ benignitate concipimus, cum audemus id ab eo contendere, ut nos non minus quam angelos ad obedientiam aptos reddat. Hactenus verba Catechismi. Quæ igitur bona opera comprehenduntur petitione tertiâ, propter talia his opposita vitia grandia & mediocria & minima remittenda, citra omne dubium in quinta petitione rogamur.

Objectio i.  
terum alia  
cum Resp.

Tertium argumentum.

Objectio nova  
cum Resp.

Explicatio tertiæ petitionis Smalciana.



*Quartum  
argument.*

**XLIV.** Denique si homo posset legem implere, utique etiam per legem posset justificari. At Apostolus hoc stricte rejicit: Ergò prius illud oportet esse falsum. Etenim non tantum appellatur *Donum DEI* vita æterna in **CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO** Rom. 6, 23; verum etiam apertius scribitur, Rom. 3, 28. Arbitramur fide justificari hominem *absq; operibus legis*. Nullius autem momenti est Photinianorum effugium, qui distinguunt inter opera legis moralis Mosaicæ, & inter opera legis, prout à **CHRISTO** completius sit facta in **N. T.** ubi abutuntur illo Christi Matt. 5. ubi dicitur: Audistis, quod dictum sit antiquis, ego verò dico vobis. Nam in suis concionibus **CHRISTUS** nequaquam completiores promulgavit leges, sed tantummodò sententiam legis moralis Mosaicæ à corruptelis Pharisaicis repurgavit, de qua re alibi copiosissime est expositum.

*Objectio Sociniana  
Resp.*

*Responsio ad dicta sacre Scripturae quae videntur perfectionem bonorum operum stabilire: generalis.*

**XLV.** Postea ritè inspicienda sunt oracula sacra, in quibus videtur Spiritus S. quoad externum corticem homini concedere perfectam legis impletionem. Et primò quidem **DEUS** æquè tam perfectissimam post lapsum in monte Sinai legem repetivit, quam perfectissimam eandem ante lapsum homini insinuavit in statu innocentia. Cur enim de legis suæ plenissima perfectione quicquam detraheret ipse obsecuta hominum vitia, ac non potius in speculo illo perfectissimo & perfectum statum in quo creatus est homo, & simul summam imperfectionem terribilissimamque faciem, quam per lapsum quasi induit generi humano exhiberet.

*Responsio specialis ad dictum Deut. 30. quod videtur perfectionem stabilire.*

**XLVI.** Deinde illud Deuter. 30, 11. quod attinet, tum ex ejusdem loci contextu, tum ex Rom. 10, 5, 6. 7. 8. 9. evinci potest, non loqui Moysen de Lege, sed de Evangelio. Etenim Deuter. 30. hoc verbum dicitur esse non occultum nec remotum, quod propter peccata expulsi poenitere, & ita poenitentes reduci in patriam & recipi in pristinam gratiam debeant. Legatur torum caput inde à primo versu & rem sic sese habere deprehendetur. Ad Romanos verò verba nimis sunt clara, & testantia, ibidem agi de Evangelio. *Verba ita habent:* Moses describit justitiam, quæ est ex lege, qui fecerit homo, vivet in ea.

At



At quæ ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum i. e. Christum deducere, aut quis descendet in abyssum i. e. CHRISTUM à mortuis revocare, sed quid dicit? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus, quod si consteatis in ore DOMINUM JESUM. &c.

XLVII. Præterea quod *credenti dicuntur omnia esse possibilia*, Marci 9, 23. non agitur ibi de mandatis divinis, sed de miraculis à sanatione cujusdam obsessi, quem sanari non posse existimabant discipuli, propterea quod pater de ipso mira referebat, quod lunaticus esset, sæpè caderet in ignem, sæpè in aquam, Matth. 17, 15. quod haberet spiritum immundum, spumet, strideat dentibus suis & arefcet, & quidem quod talis fuisset ab infantia. Si quid igitur potes (*inquit ad CHRISTVM*) succurre nobis. Respondet CHRISTUS, si potes hoc credere, (nimirum me à Patre accepisse omnem potestatem sanandi quosvis morbos, citra omnem exceptionem) omnia enim fieri possunt credenti. (Credenti nimirum me à Patre venire, & à Patre habere talem omnimodam potestatem operandi quasvis tales sanationes.)

*Responsio ad dictum Credenti omnia possibilia.*

XLVIII. Ac licèt secundum quorundam expositionem sermo esset de lege, tamen aliter non possent omnia credentes, nisi in CHRISTO, qui ipsis factus est iustitia, 1. Cor. 1, 30. unde CHRISTI obedientia credentibus imputatur.

XLIX. Ulteriùs quod spectat ad *perfectionem Noæ, Ase, Davidis, Ezechie, & quod CHRISTUS nos jubet esse perfectos, sicut Pater cœlestis est perfectus, item apud Paulum, quod diligens proximum dicitur implere legem, item quod jubemur imitari CHRISTUM, item quod Apostoli dicuntur imitatores CHRISTI*: hæc omnia non simplicem & absolutam denotant plenissimam perfectissimamq; obedientiam, cui profus nihil desit, sed comparatam, quæ consideratur respectu aliorum hominum, tantâ sollicitudine & curâ mores vitæ se- eundum præscriptas verbi divini regulas gubernare non contendentium vel satagentium.

*Responsio de illis qui dicuntur perfecti & imitatores Christi.*



L. Confirmatur illud i. ex ipfismet supra inductis exemplis, & cumprimis ex exemplo Davidis, de quo dicitur i. Reg. 15,5, quod feciffet David rectum in oculis Jehovæ, neque declinasset ab ullo eorum, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, præterquam in re Vria Hittai. Non tamen sola hac vice peccasse Davidem, verum etiam alias, annon cõcluditur fortissimè ex 2. Sam. 24. & i. Paral. 21. i. ubi Satan concitat Davidem, ut numeret populum. Displicuit enim i. Paralip. 21, 1. hoc in oculis DEI & percussit Israel. Fatetur peccatum suum David his verbis: Peccavi graviter, quod feci, nunc ergo ò JEHOVA transfer, quæso iniquitatem servi tui, quia stultè egi. Et perierunt tunc septuaginta millia virorum.

An David tantum semel peccaverit, quod videtur dici. i. Reg. 15,5.

LI. Deinde confirmatur illud ipsum perpetuæ experientiæ magisterio, cujus historias Biblica lectio suppeditat, quod nullus unquam quâtuvis sanctissimus, fuerit sine omni peccato. Et si verò singulæ ipsorum enormitates aut non sunt, literis proditæ, aut non sub cujusq; intuitum primâ fronte cadunt, tamen & succurrunt nobis generales regulæ hac de re antea allegatæ, & oculatiores æstimatores ista omnia penitiùs expendentibus non ita sese habere re ipsa ultrò profitebuntur.

An Josua, typus Christi, fuerit sine omni peccato

LII Quidam Josuam sine omni peccato fuisse asserit, additâ causâ, ut eò perfectiùs JESUM introducentem nos in verè benedictam patriam repræsentare posset. Verum enim verò illic ipsi objecerunt alij factum Josuæ Num. 11, 27. ob quod etiam à Moise ibidem repræhenditur, perversus ipsius Zelus. Manet igitur inviolatum, quod nemo reatorum aut sanctorum in hac vita possit esse sine peccato.

Assertio de imperfectio-  
ne operum  
nō debet parere securitatem & negligentiam, immo etiam impietatem, ut sit hoc nostro seculo.

LIII. Hæc autem dum asseruntur, interim non probandos concedimus. Primò Antinomorum furores, de quibus legi debet Lutherus Tomo I. Jenensî Latino in disputationibus contra Antinomos. Anno 1538. habitis, Legem DEI indignam esse dicebant illi, quæ vocaretur verbum DEI, item in Evangelio non debere agi de violatione legis, sed de violatione Filij. Secundò etiam Lutherus quàm optimè descripsit in suo vaticinio, quod extat Tomo I. L. Jenensî hisce verbis: Adest tempus olim prædictum, quod post revelatum Antichristum, essent futuri homines.



nes, qui sine DEO viverent, unusquisque secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam Papa quicquid fuit DEUS supra DEUM, nunc sine DEO agere omnes volunt. Papista omnium maximè. Nam illi nullas leges amplius volunt. Nostri cum à legibus Papæ liberi sint, volunt etiam à lege DEI liberi esse, nihil nisi politica sequi, sed sic, ut sub illis quoque prædicta sunt, nos ipsi sumus, qui facimus talia, sicut Judæi finxerunt & fingunt longè alios esse, qui Christum suum promissum repudient. *Hæc Lutherus* ad vivum exprimens seculi nostri, & quidem multorum qui Angelicam vitam & fidem Apostolicam suam simulant, mores.

LIV. Pessima enim hæc est consecutio: Non salvamur operibus: E. bonis operibus non est studendum. Fuit eadem opposita magno CHRISTI Apostolo Paulo, ad quam gravissimè respondet sexto capite ad Romanos *hisce verbis*: Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in CHRISTO JESU, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

LV. *Super quæ verba Chrysostomus*: Resurrectione, quæ de nobis futura est, proposita aliam à nobis resurrectionem postulat, nempe novum vitæ præsentis genus atque institutum, à morum immutatione factum. Nam ubi scortator fit castus, ubi avarus misericors, ubi asper mansuetus, & hic quoque existit resurrectio, quæ tanquam illius alterius proœmium est. *Et paulo post*: Porrò cum audis novam vitam, magnam varietatem, magnam mutationem quære. Enimverò mihi in mentem venit, ut illacrymer ac magnoperè ingemiscam, cogitans, quam magnam à nobis moderationem & constantiam Paulus exigat, quam magnam autem nos infamiam dederimus à baptismo ad priorem senectutem reversi & in Ægyptum reflectentes. *Hæc omnia ille,*

LVI. Notæ etiam sunt Lutheri & multorum Theologorum cordatorum & contritionem Josephi dolentium quærelæ, quod homines



homines sub Lutheranismō facti sint longè deteriores, quàm unquam fuerint sub Papatu. Has querelas adversarij suis auditoribus ex suggestis prælegunt, considerari jubent, schedis quæ inscriptas sub medijs concionibus dispergunt. Nec dubium est, hac ratione scandalizari plurimos, quò minus relicto Papatu Evangelicam veritatem amplectentur, quos tanquam seductores suos in extremo die gravissimè seducti & scandalizati isti accusabunt.

LVII. *Idem Apostolus Rom. 8. graviter iterum monet versu 12. nempe fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Et Rom. 13, 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Rom. 15. 1: Debemus nos firmiores imbecillitatè infirmorū sustinere, & nō nobis placere. Qui debet, solvere tenetur, & si non habet, unde reddat, jubet eum Dominus vendicare & uxorem ejus & filios, & omnia quæ habet, & reddere. Matth. 18, 25.* Non igitur ad iaphoris accensendum est, studium honorum operum, quod libeat prosequi & non prosequi, nec tamen idem illud pro merito merente vitam æternam & justificationem debet censerī, sed gratis ex sola misericordia propter meritum CHRISTI pasci & crucifixi donatur credenti remissio peccatorum & vita æterna. Interim tamen tota Scriptura clamat, à justificatione Deum requirere hanc vitam, ut abnegatā omni impietate sanctificationem sequantur. sine qua nemo videbit DEUM, Heb. 12, 14.

LVIII. Vtq; finis hujus disputationis cum exordio ejusdem congruat, eadem fuit Lutheri sententia, quovis tempore. *Sufficiant probationis loco ultima verba in præfatione super N. T. Vbi fides est, ibi latere nequit, sed prodit se per bona opera, proficitur & docet CHRISTUM apud homines, cum vita suæ impendio, & quicquid vivit & facit, hoc dirigit ad proximi utilitatem & auxilium. Et paulò post: Vbi opera & charitas sese non exerunt, ibi non est vera fides, ibi nondū viget Evangelium, nec rectè agnoscitur CHRISTUS. Sic in Possibilità domesticā super III. Trinit. ostendit Evang. de ove perditā sed recuperatā nihil prodesse impenitentibus, qui saltem allegant amorem DEI erga peccatores. Joban. Hussius: Bona opera si non appareant extra, equidem fidem ego nō credam esse intra. Et rectè. Fides n. per charitatem operatur. Gal. 5, 6.*

LIX. Et si verò DEUS à piis talem requirit sanctimoniam, tamen omnium ipsorum obedientia est spontanea, juxta illud Psa. 110. 3. *Populus tuus populus spontaneus*: cum e contrario improbi coercendi sint acris medijs, & de his dicat Apostolus I. Timoth. 1. 9 *Lex justo non est posita, sed injustis impijs peccatoribus, sceleratis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicarijs, mag sculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, perjurijs, &c.*

Verum de his satis.

FINIS.



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




Sb.

VD 17

21.7.99 Bd.










Small  
em in  
, &  
hacit  
ita, v  
ie mo  
inus  
or co  
& oli  
ectio  
um u  
est, pr  
ac re  
deles  
  
erma  
orde  
tang  
proz  
diffin  
dam  
evol  
uit. Si  
s in in  
IRAM  
in pa  
, nun  
Utut  
latero  
arum  
ē nos  
rticu  
xi coe  
cide  
enda  
u Ch  
stro tu  
ularu



B.I.G.

Farbkarte #13

48 7  
DISPUTATIO ORDINARIA

De quaestione illa

*Cujus argumentum hoc ipso anno retrosum numero-  
to centesimo, nimirum Anno Christi 1516. ad-  
versus Papatum disputavit vir DEI*

D. MARTINUS LUTHERUS.

UTRUM HOMINES LEGI  
DEI SATISFACERE, ET MERERI  
VITAM ÆTERNAM POSSINT?

QUE

*In Academia VVittebergensi repetetur & publicè  
instituetur ad d. 22. Novembr. anni  
hujus 1616.*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO S. S.

Theologiae Doctore, & Profefs. P.

RESPONDENTE

M. ANDREA SNISIO WITTEBER-  
gensis, Alum. Electorali Saxon.

WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Johannis Gormanni,

